

hæc non adest, sed solum spes aut opinio probabilis habetur de avertendo, vel resarciendo damno communitatis, aut tertii, tenetur quis tale delictum de præsentis jam, vel in futurum præjudiciosum denuntiare: et quidem denuntiatione judiciali saltem minus stricte tali juxta dicta n. 109, nisi rursus certissima spes sit, damnum averti vel resarciri posse sola denuntiatione evangelica.

121. Resp. III. Si delictum nondum quidem est notorium, sed tamen ita publicum, ut probari valeat, uti si duobus, aut tribus constat, potest quis, sed non tenetur illud evangelice, vel judicialiter denuntiare; si delictum soli delinquenti nocet, et probabilis spes appareat, illud per solam monitionem secretam, aut absque illa fore emendandum, vel jam esse emendatum. Quod possit denuntiari, patet ex dictis n. 88 et n. 105. Quod non teneatur, patebit ex statim dicendis. Idem est, si existente peccato pernicioso certitudo moralis habetur emendationis, et satisfactionis juxta dicta supra, nullumque periculum sit, tale delictum fore divulgandum: quod non sit obligatio illud in tali casu denuntiandi, ratio est; quia cessat finis obligans, emendatio nempe, et satisfactio, quæ utraque in hoc casu jam supponitur. Quod autem possit etiam judicialiter denuntiari, patet ex dictis n. 88.

122. Dicitur autem notanter: «Nullumque periculum sit divulgationis:» hoc enim ubi adest, etiam quandoque saltem in ordine nostro obligatio est, tale delictum, etsi soli delinquenti nocivum denuntiandi, juxta dicta n. 116.

123. Resp. IV. Si delictum quodcumque tandem jam est notorium, aut manifestum, ita ut fama jam de illo extet; tenetur quis, et quidem judicialiter denuntiare, si superior id ignorat, aut id sciens procedere contra reum culpabiliter omittit, juxta dicta n. 113 et 114.

124. Resp. V. Excusatur quis a denuntiatione tam evangelica, quam judiciali cujuscunque delicti, quod absque gravi suo damno et incommodo, vel saltem gravi periculo damni denuntiare nequit, excepto delicto, quod in grave damnum communitatis cedit, nisi denuntietur. Palao, loc. cit. pun. 14, n. 7; Navarrus, Covarruvias, Sanchez, Lessius cum communi. Ratio est, quia juxta communem theologorum nemo tenetur cum proprio gravi detrimento impedire

damnum sive spirituale, sive corporale proximi, nisi ratio officii sui consequenter justitia id exigat.

Dicitur notanter: «Excepto delicto,» etc. quia quis tenetur etiam cum aliquo suo damno grave malum communitatis impedire; hoc ipso, «quod communis utilitas speciali præferatur,» c. Licet, 18, de Regular.

125. *Facta denuntiatione judiciali, tenetur judex inquirere, et processum formare.* — Quæritur IX. Quinam sint effectus denuntiationis judicialis, seu quid operetur tam respectu judicis, quam denuntiatoris? Item ad quid ipsos obliget, præsertim si probatio deficiat, et reus nec confessus, nec convictus habetur? Resp. I. Denuntiatio judicialis imprimis efficit hoc, quod aperiat viam ad inquisitionem specialem, ita ut judex facta sibi denuntiatione vere judiciali non tantum possit, sed teneatur ex officio inquirere, et processum incipere citando et examinando testes, et alia probationis media per denuntiatorem contra delinquentem suggesta, adeo, ut si omittat, peccet ob denegatam seu neglectam justitiam, teneaturque ad syndacatum, et amittat jurisdictionem quoad illam causam, Brunnean. in *Process. inquisit.*; Gailus, lib. I, observ. 28, n. 1; Ameno, in *Pravi crimin.* tit. IX, §. Denuntiatio, § 3, n. 16, textu valde claro Novell. 17, § si cap. III, *Si tibi quoque*, cum concordantiis.

126. *Si denuntiatio rite fiat.* — Limita conclusionem in casu, quo denuntiationem sine allegatione testium, et mediorem probationis fieri contingeret; tunc enim denuntiationem rejicere debet juxta dicta n. 89, nisi crimen denuntiatum in damnum communitatis, aut tertii vergeret, sicque denuntiatio judicialis minus propria fieret; quia in tali casu procedere deberet modo supra n. 109, allegato.

127. *Si suspicio est, ne reus fugiat, aut testes subornet, impediatur, etc., potest etiam post citationem carcerari custodia causa.* — Resp. II. Si facta denuntiatione reus est suspectus de fuga, vel ne testes subornet, impediatur, terreat, etc., potest conjici in carcerem custodia causa, etiam ante citationem; dummodo delictum sit grave, et ad sint sufficientia indicia delicti a carcerando commissi, aut semiplena probatio, v. g. per unum testem omni exceptione majorem. Passerinus, in *Tribun. Regul.* quæst. 20;

Clarus, § fin. quæst. 28, n. 2, et seqq. et ibi Barcard. n. 11; Ludov. de Ameno, tit. XIX, §. Reus, n. 6, cum communi, arg. c. *Si clericos, de Sentent. excommun.* in 6, et l. 3, de *Custod. reor.* ibi: «Factam præsumptione tanquam reus sit, in custodia maneat, donec causa terminetur.»

128. *Quod apud nos fieri debet cum consilio peritorum in conventu.* — In ordine nostro ut reus custodia causa carcerari queat, debet adhiberi etiam consilium patrum, et magis peritorum in conventu, ut statuitur in *Praxi criminali*, tit. XIX, § 2, et bene ibidem docet Ameno, n. 6, addens n. 8, quod si in conventu haberi nequeant, aut tales essent amici ipsius carcerandi, aut alias suspecti, posset judex se solo, carcerationem demandare. Cæterum in decreto carcerationis debet judex exprimere causam, ob quam incarceravit reum. Ameno, loc. cit. n. 8.

129. *Ad quid teneatur denuntiator, præsertim si crimen non probetur?* — Resp. III. Quamvis denuntiator non teneatur probare crimen, tenetur tamen denominare testes, et suggerere probationis media, quæ habet, si vere judicialiter denuntiat. Patet conclusio ex dictis supra n. 95, ubi n. præced. et subseq. etiam habetur, quæ requirantur ad denuntiationem rite faciendam. Cæterum, an, et quas pœnas denuntiator incurrat, si fideliter non probetur, vide tit. seq. de *Calumn.*

Dicitur: «Si vere judicialiter denuntiat;» si enim denuntiat delicta penitus occulta, in damnum tamen communitatis vergentia, sicut testes et probationes suggerere nequit, ita nec tenetur, sed observare debet, quod dictum est supra n. 112.

130. *Denuntiatius judicialiter pendente denuntiatione non potest promoveri ad dignitatem, honorem, ordines, nec potest esse testis, nec alium accusare, etc.* — Quæritur X. Quem effectum habeat denuntiatio judicialis respectu rei denuntiatæ? Resp. I. Licet per solam denuntiationem, vel accusationem non illico, evadat quis reus, nisi prius convictus vel confessus sit, can. fin. in fine, cau. 15, q. 8, ibi: «Non statim, qui accusatur, reus est, sed qui vincitur criminis.» Nec etiam per illam statim infamis fiat, l. *Furti*, 6, § 1, de *His, qui notant infam.* nihilominus denuntiatio judicialis, et a fortiori accusatio, sicut etiam inquisitio aggravat, minuitque æstimationem, et famam

ipsius, idque illico efficit, ut pendente denuntiatione, et donec terminetur causa, denuntiatius nec ad ecclesiasticas, nec ad sæculares dignitates vel honores promoveri valeat, arg. c. *Tanti*, 3, dist. 81, et c. *Omnipotens*, 4, h. t. ibi: «Grave est, ut vir, de quo tanta et talia denuntiantur (cum antea inquiri et discuti debeant) honoretur.» Et ibi doctores communiter, in specie Barbosa, n. 1 et 2, Abbas, Felinus, Archidiac. Anchar. Joan. Andreas, Butrius, Fagnanus, et alii cum Glossa, ibid. §. *Nuntiatius*, concordat. l. *Reus*, 7, ff. de *Mun. et honor.* ibi: «Reus delatus etiam ante sententiam honores petere, principalibus constitutionibus prohibetur: nec interest plebeius sit, an decurio,» et l. *Reos*, c. de *Reis postum.* Ratio est, quia opinio et fama promovendi non debet vacillare, ut bene advertit Glossa, in c. *Omnipotens*, h. t.

131. Quod si pendente denuntiatione, vel accusatione dignitas vel honor denuntiatio conferretur, collatio esset nulla, nec convalesceret, etsi postea per sententiam absolvatur reus, et innocens declaratur, sed requiritur nova promotio. Fagnanus, in c. *Omnipotens*, 4, h. t. n. 23; Goffred. et Vincent. in fin. de *Testament.*; Pirhing, h. t. n. 24, arg. l. *Qui status*, ff. de *Re milit.* et l. *Cum uno*, § *Reum*. Ratio est, quia in his spectatur principium, an videlicet ab initio, seu tempore collationis, aut promotionis quis habilis existat, arg. c. *Dudum*, 24, de *Elect.* et c. *Si eo tempore*, 45, eod. in 6, consequenter si quis ab initio, seu tempore collationis, vel promotionis inhabilis est, subsequens declaratio innocentie non retrahitur, ut bene advertit post Cardin. in c. *Omnipotens*, 4, h. t. n. 1; Ancharan. n. 7, et Fagnan. n. 24.

132. Ampliatur conclusio, ita ut accusatus, et denuntiatius, aut etiam inquisitus pendente denuntiatione, aut processu, nec ad ordines promoveri valeat, Fagnanus, loc. cit. n. 7, can. *Tantis*, 3, dist. 81, can. *Laici*, dist. 33, c. fin. de *Testib.* et ibi Glossa, §. *Pendente accusat.* Nec potest alium accusare, l. *Is qui*, ff. de *Public. judic.* Nec esse testis in causa criminali, nisi agatur de criminibus exceptis, cit. c. fin. de *Testib.* Nec potest esse procurator alterius, l. *Reum*, de *Procurat.* quæ omnia refert Glossa: in fine, de *Testib.* et bene advertit Anchar. in cit. c. *Omnipotens*, 4, h. t. in *Notabili I.* Item non potest promoveri ad officia, nec ad beneficia,

Abbas, in c. *Omnipotens*, h. t. et ibi Fagnanus, n. 3.

133. *Limitatur I. Si crimen non est grave; crimen grave, et leve quid?* — Limitatur tamen conclusio potestque accusatus, denunciatus vel inquisitus, ad honores, dignitates, officia et beneficia, etc., etiam durante processu promoveri, si crimen, de quo accusatus, aut denunciatus existit, non est grave, sed leve, Hostiens. et Joan. Andr. in c. *Omnipotens*, 4, h. t. ac ibi Fagnanus, n. 7, arg. cit. c. *Omnipotens*, h. t., ibi: « De quo tanta et talia, » id est, tam gravia nuntiantur. Inter gravia autem numerantur, c. *Unum*, 3, dist. 25. « Sacriligium, homicidium, adulterium, fornicatio, falsum testimonium, furtum, rapina, superbia, invidia, avaritia, etsi longo tempore teneatur, iracundia, et ebrietas, si assidua sit, in eorum numero reputantur: et ea demum, quæ semel commissa ad denuntiationem sufficiunt; » id est peccata mortalia. Inter levia deputantur, quæ ibidem ad longum referuntur, quæ nempe peccatum duntaxat veniale efficiunt.

134. *II. Si apparet denuntiationem ex calumnia fieri.* — Limitatur II. Si ex conjecturis appareat aliquem ex calumnia, et eo animo accusari, vel denunciari, ut accusatus, vel denunciatus ab acquirendis honoribus, dignitatibus, officiis, etc., arceatur, Fagnanus, in c. *Omnipotens*, 4, h. t. num. 23, et ibi Felinus, num. 3; Joan. Andreas, num. 3; Pirhing, h. t., num. 42, arg. l. *Qui de libertate*, 29, § *Si vero*, ff. *de liberali causa*; Glossa in can. *Tantis*, § *Obrepsit*, dist. 81, alias enim quis malitiosus posset impedire quemvis honestum virum, dummodo accusaret aut denunciaret illum.

135. *III. Si non fit in requisita forma.* — Limitatur III. Si accusatio, aut denuntiationem non fiat legitime ex defectu formæ requisitæ, per dicta num. 94, aut si fiat ab eo, qui accusare nequit, Felin., in c. *Omnipotens*, h. t. n. 2 et ibi Fagnanus, n. 14, arg. c. *Meminimus*, 13, h. t.

136. *IV. Si non criminaliter, sed tantum civiliter intentatur.* — Limitatur IV. Si accusatio, aut denuntiationem criminis non criminaliter, sed civiliter, tantum intentetur, quia hæc accusatio infamiam non aggravat, Fagnanus, loc. cit. nu. 15; Innocent, in c. *Qualiter*, h. t. arg. c. *Tuo* 5 et *Procurator*, et c. *Super his*, 16, ad finem, h. t.

137. *V. Post lapsum unius anni.* — Limitatur V. Post lapsum unius anni a tempore

factæ accusationis, aut denuntiationis, nisi per reum steterit, quominus intra annum causa terminetur, communis, textu claro l. *Reus*, ff. *de Mun. et honor.* ibi: « Sed post annum, quam reus, delatus est, petere honores non prohibetur, nisi per ipsum stetit, quominus causa intra annum expediatur. »

138. *Denuntiatio et accusatio non impediunt officii aut dignitatis prius habiti administrationem et jurisdictionem.* — Resp. II. Accusatio vel denuntiationem non impedit honoris, dignitatis aut officii administrationem, aut exercitium, Bartol. in l. *Post contractum*, ff. *de Donat.*; Abbas in c. *Omnipotens*, 4, h. t., n. 3, et ibi Felinus, n. 1; Fagnanus, n. 8, et alii communiter, arg. l. *Qui a latronibus*, § 1, ff. *de Testament.*, l. *Quod si forte* § 1, ff. *de Solut.*, l. *Reo criminis*, ff. eod. et l. 1, § *Quamvis autem*, ff. *de Postulat.* ibi: « Sed melius est, ut retinere quidem dicamus, jam acceptum magistratum posse; aspirare autem ad novum penitus prohiberi. » Ratio est, quia accusatio et denuntiationem non impediunt jam quæsitam et habitam, sed quærendam, uti Gloss. in c. *Sæpe* § *Rata manet*, de *Appellat.* bene et universaliter notat, Abbas, in c. *Omnipotens*, n. 3, h. t.

139. *Excepta causa, et negotio, in quo denuntiatio; et causa dilapidationis.* — Inferitur, quod etsi prælatus, aut superior a subditis, vel aliis accusatus sit, vel denunciatus, ab administratione tamen, et jurisdictione sui officii, aut dignitatis minime impediatur, ut bene advertunt doctores citati, ac alii communiter. Limitatur tamen conclusio, et illata doctrina in causa et negotio, in quo prælatus fuit denunciatus, vel accusatus. Pirhing, h. t., arg. c. *Olim*, 26, h. t. et ibi doctores. Item limitatur in casu, quo superior de dilapidatione honorum accusatus, vel denunciatus existit; tunc enim denuntiationem pendente suspensus manet ab administratione honorum. c. fin., h. t. ubi ex hoc, quod canonici Frisingenses accusaverint episcopum suum de honorum dilapidatione, administratio eorum interim ei fuit interdicta, ibi: « Potestate vendendi, dandi, infeudandi, seu quomodolibet alienandi bona Ecclesiæ interim eidem penitus interdicta. »

140. *Accusatio, et denuntiationem accusatum non faciunt ineligibilem. Nisi infamia præcesserit.* — Resp. III. Quamvis teste Fagnano in c. *Omnipotens*, h. t., plures velint quod accusatio et denuntiationem accusatum

§ II. DE DENUNTIATIONIBUS.

reddant etiam ineligibilem, melius tamen sub limitatione, ita docetur, si accusationem aut denuntiationem nulla præcessit juris, aut facti, infamia rei, non impeditur, quoniam pendente accusatione vel denuntiatione eligi possit. Fagnan., in c. *Omnipotens*, h. t., n. 1, circa finem, et ibi Anchar., numer. 5. Ratio est, tum quia si sola denuntiationem redderet aliquem inhabilem ad electionem passivam, daretur locus multis fraudibus, ac figmentis; dum vacante dignitate aut beneficio electivo quis quemvis facile inhabilem reddere, et impedire posset ab electione; dummodo scilicet denuntiaret illum.

141. *Reus legitime interrogatus sub peccato mortali tenetur fateri veritatem.* — Resp. IV. Denuntiationem et accusatio, sicut etiam inquisitio id quoque respectu rei efficit, quod legitime interrogatus teneatur fateri veritatem. Patet Conclusio ex lib. II, tit. XVIII, § 7, per totum. Estque in ordine nostro certa, cum in praxi nostra expresse ita decisum habeatur tit. *Reus*, § 6, ibi: « Reus legitime interrogatus, sub mortali culpa (a qua, nisi dicat veritatem, in foro pœnitentiæ absolvi non possit) tenetur de plano respondere ad mentem iudicis interrogantis. » Accedit quod in ordine nostro reo imponatur juramentum de dicenda veritate.

142. *Reus confessus, vel convictus condemnatur ad pœnam ordinariam.* — Resp. V. Alius principalis effectus rei est, quod crimen confessus, aut de illo legitime convictus afflictaur pœna jure præscripta, vel, si in jure nulla præscribitur, arbitraria iudicis juxta exigentiam delicti, lata prius sententia: juxta præscriptum l. 2 et 3, c. *de Sentent. ex periculo recit.*, et Novell. 71, cap. 1, circa quam sententiam tamen hodie in tribunali sæculari observari debet constitutio Caroli V, art. 92, et seqq., ubi ordinatur, ut causa plene discussa, et facta per utramque partem conclusione, cuncta acta in medium proferantur ut singulis diligentissime perpensis, denuo collectis singulorum assessorum suffragiis sententiam scriptis comprehensam iudex per juratum actuarium publicari, et clara voce in præsentia partium prælegi jubeat.

143. *Ad quam tamen condemnari nequit, nisi adsit plena probatio.* — Resp. VI. Ad hoc ut reus denunciatus ad pœnam ordinariam condemnari possit, debet adesse probatio plena ac perfecta luce meridiana clarior. Communis, et certa claris juribus l. *Fieri*, C. *de Accusat.*, et can. 2, cau. 2, quæst. 8.

Et amplius dictum est, lib. II, tit. XXIII, § 3, a num. 63.

144. *Bene vero ad extraordinariam.* — Dicitur notanter: « Ad pœnam ordinariam; » quia an, et quomodo deficiente plena probatione ob graves præsumptiones et indicia saltem ad pœnam extraordinariam condemnari possit, habes etiam cit. § 3 a num. 71.

145. *De probatione criminis. Remissive.* — Cæterum quomodo probatio fieri possit ac debeat? quæ sit plena, quæ semiplena, etc., copiosa habes, lib. II, tit. *de Probat.*, tit. *de Confessis*, tit. *de Testibus*, tit. *de Fide Instrum.*, tit. *de Præsumpt.*, etc.

146. *Quid sit denuntiationem canonica?* — Quæritur XI. Quid sit denuntiationem canonica? et quid denuntiationem civilis? de quibus statim ad initium hujus § numer. 59. Resp. I. Denuntiationem canonica (sic dicta, quia a sacris canonibus inventa) est et dicitur illa, quæ fit ad advertendum damnum spirituale communitatis, aut personæ privatæ, v. g. ne indignus ordinetur, vel ad beneficium, vel officium ecclesiasticum promoveatur; vel ut indignus jam promotus amoveatur, ne plebi perniciosus existat, can. *Metropolitanus*, 44, can. *Sicut*, 45, cau. 2, q. 7. Item ne matrimonium contrahatur cum impedimento dirimente, vel impediendo, aut ut contractum dissolvatur, vel ne quid aliud illicitum fiat; nam de omni peccato mortali spectat ad Ecclesiam judicare, c. *Novit*, § *Licet autem*, de *judiciis*.

147. *Ad eam quinam teneantur?* — Ad denuntiationem canonicam, quæ fit, ne indignus eligatur, vel promoveatur, aut ut jam promotus iterum amoveatur, non quisvis, sed illi tantum tenentur, quorum interest, bonum habere prælatum, pastorem, etc. Abbas, in c. *Novit de judiciis*, numer. 59. Ad illam vero, quæ fit ad impediendum matrimonium cum impedimento contrahendum, vel ad aliud peccatum impediendum tenetur quisvis, si absque magno incommodo suo potest, ut diximus, lib. IV, § 1, n. 49. Et ideo hæc generalis, utpote generaliter omnes obligans; illa vero specialis, quippe non nisi speciales concernens, dicitur.

148. *Quid sit denuntiationem civilis? Et quid juris de ea?* — Resp. II. Denuntiationem civilis prout a canonica distinguitur, est, quæ fit ab officialibus, ministris publicis ad hoc deputatis, ut crimen in communitate scrutentur, et ad iudicium deferant; quatenus dein facta eorum denuntiationem iudices exactam

inquisitionem instituere, et cognita veritate reos castigare, sicque bono communi providere valeant, arg. l. *Ea quidem*, 7, et l. *Singuli*, 14, c. de *Accusat.* Quæ denuntiatio sæpe etiam judicialis est, et ad eam reducitur, habetque illud speciale, quod iudex ea facta nullis a denominatore nominatis testibus, nec solemnitatibus supra a num. 94, præscriptis, statim inquirere possit per leges citatas; et denuntiator ad nullas teneatur pœnas, delato reperto innocente. Denuntiatio civilis subinde etiam vocatur illa, quæ a privato fit non ad vindictam publicam, sed ad interesse proprium juxta dicta num. 84. Verum de hac a præsentibus non est Quæstio.

§ III.

DE INQUISITIONE.

149. *Inquisitio quid?* — Quæritur I. Quid, et quotuplex sit inquisitio? Resp. I. Quod *Inquisitio* in jure quandoque denotet cujuscunque rei indagacionem, seu investigationem, arg. *Per inquisitionem*, 26, de *Elect.* et c. fin. § 1. de *Offic. delegat.* Ad præsens tamen agitur de ea, prout significat investigationem in materia criminali, et bene describitur dicendo: « Inquisitio ut sic, est criminis, vel criminosis per iudicem legitime facta investigatio. » Gonzalez, in c. *Inquisitionis*, 21, h. t. num. 8. Patet ex terminis; dicitur *criminis*, vel *criminosis*, ut comprehendatur quævis inquisitio non solum generalis, sed et specialis, per quam non tantum de crimine, sed etiam de criminoso in specie investigatio fit. Dicitur *legitime facta*, id est, juxta præscriptum Legum, et Canonum.

150. *Alia est generalis.* — Resp. II. Inquisitio principaliter, ac potissimum dividitur in generalem et specialem. Inquisitio generalis proprie talis, seu ut alii dicunt generalissima, est, quando iudex, vel superior nulla expressa persona, vel delicto in specie, ex mero officio suo generatim indagat, et inquit, an in provincia aliqua, vel loco, diœcesi, civitate, monasterio fiant, et facta sint aliqua delicta, an leges, et statuta serventur, vel fiat transgressio eorum etc. arg. c. 1. de *Offic. ordinar. c. Grave*, 29, de *Præb. et Dignit. c. Sicut olim*, 25, h. t. quam inquisitionem ordinarie faciunt episcopi, dum visitant diœ-

cesin, superiores regulares, in visitatione provinciarum, et monasterium per jura citata. Item præsidēs, aut magistratus sæculares indagando, an crimina ex legum transgressiones fiant in districtu sibi subdito, arg. l. *Congruit*, 13, ff. de *Officio præsid.*

151. *Alia specialis.* — Inquisitio specialis proprie talis est; quando iudex vel ex mero officio, vel ad alicujus privati querelam seu denuntiationem, vel ad denuntiationem alicujus privati vel officialis seu ministri publici ad id destinati inquit, seu indagat de delicto aliquo in specie contra certam et determinatam personam: investigando v. g. an Titius commiserit homicidium, vel fornicationem. Fagnanus, in c. *Qualiter*, il 2, h. t. num. 62; Maranta, de *Ordin. judic.* part. VI, tit. de *Inquisit.* num. 12, cum communi, arg. c. *Cum dilecti*, 18, et c. *Qualiter*, 24, h. t.

152. *Alia mixta, quæ etiam ad generalem reducitur.* — Inquisitio mixta, prout a generalissima, et proprie stricteque generali distinguitur, est, quando iudex aut superior nulla determinata, vel expressa persona de certo aliquo crimine inquit indagando v. g. generaliter respectu personarum, quænam earum hoc furtum, vel istud homicidium commiserit. Et hæc inquisitio ad generalem reducitur, passimque generalis, et merito dicitur. Vel e contra nullo expresso crimine, de certa persona indagat, an aliqua crimina commiserit, an leges observet, aut violet, quomodo in officio suo se habeat; etc.

153. *Generalis et specialis, alia paterna.* — Inquisitio præsertim generalis ulterius ratione finis dividitur in paternam, et judicialem. Paterna est, quæ superiore instituitur non ad publicam vindictam, sed ad dignoscendam vitam et mores subditorum, eo fine, ut errantes et defectuosi paterne corrigantur et emendentur, præscribantur convenientia media pro observatione legum, vel disciplinæ regularis: et ut boni ad gradus, et officia pro bono communi evehantur, etc. Qualis inquisitio fit ordinarie a superioribus regularibus, dum etiam canonicè visitant provincias, aut monasteria, juxta dicenda infra

154. *Alia judicialis.* — Judicialis vero est, quæ instituitur a superiore ut iudice ad vindictam publicam, publiceque puniendos delinquentes ad exemplum aliorum.

155 et 156. *Inquisitio generalis potest et debet subinde institui.* — Quæritur II. An, et

quando a superioribus institui possit vel debeat inquisitio generalis proprie talis, seu generalissima? Et utrum ad eam prærequiratur infamia?

Resp. I. Inquisitio generalis proprie talis non tantum potest, sed ex officio suis temporibus etiam debet fieri. Unanimis ac certa, claris juribus tam civili, quam canonico, c. 1, de *Offic. ordinar. c. Romana, de Censib.* in 6, c. *In singulis, de Statu monach.* juncto concilio Trident. sess. 25. de *Regul.*, cap. VIII, et l. *Congruit*, 13, ff. de *Offic. præsid.* Ratio est, quia bonum commune talem inquisitionem exigit, ut scilicet ea mediante innotescat, an, et qualia crimina vigeant, an, et quinam existant malefactores, quatenus, cognito rerum statu, pro exigentia circumstantiarum, superiores malis præcavere, delinquentes corrigere, et emendare, convenientia media ordinare, vel ulterius ad inquisitionem specialem progredi valeant, etc.

157. *Et quoties. Remissive.* — Quoties autem institui debeat generalis (quæ ordinarie est paterna) partim patet ex dictis lib. III, tit. XXXIX, num. 65, § partim ex § sequenti, partim ex tribunalium consuetudine, et statutis municipalibus.

158. *Potest institui absque præcedenti infamia, inquisitio generalis.* — Resp. II. Memorata inquisitio generalis proprie talis, seu generalissima etiam judicialis institui potest ex mero officio iudicis, etsi nulla de delictis, vel delinquentibus præcedat infamia, nec alienus urgeat denuntiatio. Maranta in *Praxi judic.* part. VI, tit. de *Inquisit.*, num. 29; Clarus, § fin. q. 6, num. 1; Farinac., in *Praxi criminal.*, p. I, l. 1, de *Inquisit.*, tit. q. 9, n. 18; Navarrus, cap. XVIII, n. 38; Abbas, in c. 1, de *Offic. ordin.*; Pirbing, h. t. num. 50, cum communi aliorum. Patetque clare per jura num. præcedentia citata: utpote vi quorum non tantum possunt, sed jubentur etiam superiores quandoque instituire inquisitionem generalem, nulla facta mentione, de præcedente infamia, aut denuntiatione alicujus. Quibus accedit adhuc concilium Tridentinum, sess. 7, cap. VIII, et sess. 21, cap. VIII. Confirmatur universali et quotidiana praxi tribunalium tam sæcularium, quam ecclesiasticorum, ac regularium. Ratio est, tum eadem, quæ in priori conclusione; tum quia per talem inquisitionem generalem etiam nulla præcedente infamia aut denuntiatione factam nulli fit inju-

ria, hoc ipso, quod de nullo in specie investigetur.

159. *Etiam judicialis.* — Dicitur notanter in conclusione: « Etiam judicialis; » quia quamvis inquisitiones generales præsertim apud regulares, imo etiam apud episcopos ordinarie non nisi paterne (canonice tamen, et legitime) fiant ad emendationem, et non ad publicam vindictam, ut bene observat Ameno, tit. XI, §. *Inquisitio*, § 1, num. 8, Tamen etiam judicialiter, et in publicam vindictam fieri possunt, prout cum communi allegati docere videntur doctores per jura num. 151 et 156, allegata. Nam c. 1, de *Offic. ordin.* expresse habetur: « Habeant episcopi singularum urbium in suis diœcesibus potestatem, adulteria, et scelera inquirere, ulcisci, et judicare, » ubi in inquisitione generali etiam judiciali sermonem esse, patet ex verbis *ulcisci, et judicare*. Et l. *Congruit*, 13, ff. de *Offic. præsid.* de generali inquisitione disponens vult, ut « Præsides in sacrilegos, latrones, etc., inquirant, et prout quisque deliquerit, in eum animadvertere, receptoresque eorum coercere etc. debeant, ubi verba, prout quisque deliquerit, in eum animadvertere, » satis indicant inquisitionem generalem judicialem.

160. *Solvuntur jura contraria.* — Nec obstant textus in jure passim existentes, qui ad inquisitionem expresse requirunt præcedentem infamiam. Resp. enim cum communi, textus illos non loqui de inquisitione generali, sed de speciali; vi cujus inquiritur contra delinquentem in specie, ut cum Ameno, loc. cit., num. 8, bene observat Passerin. in *Tribun. Regul.* quæst. 8, n. 13 et 14.

161. *Requiritur tamen ad eam saltem suspicio, vel præsumptio, vel indicia, etc., de delictis.* — Qui ambo tamen etiam notant, quod etsi vera non requiratur infamia, requiratur tamen aliqua suspicio, vel præsumptio, vel indicia aliqua, vel confusa relatio, alicubi fieri delicta, aut homines ibi non bene vivere si inquisitionem judicialem instituere vult. Ratio est, quia, cum inquisitiones generales ordinarie non nisi paterne fiant, sine omni causa, aut motivo prudenti, judicialiter instituere non debet inquisitionem generalem.

162. *Nemo potest condemnari sine accusatore, vel aliquo supplente vicem ipsius.* — Accedit, quod inquisitio judicialis tendat ad